Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 587
Quelle:
Copyright:

regum delucidanda mihi — misisti &c. Sequitur *Capitulare* XXX. *Quaestionum*, cui tamen deinceps non adhaeret Textus, sed ad XXXII. nullo tamen augmento progreditur. Ejus initium: *Quod ait propheta* (ad Heli) *loquens ex persona dei. & suscitabo mihi sacerdotem fidelem* &c. ut *Opp. omn.* edit. *Colon.* 1688. T. IV. *col.* 333. f. quae Editio, ut quaedam legat melius, in aliis tamen e Codice perfici potest, qui v. g. in *Praef.* rectius habet: *uel habitę non intelligantur*, quam *vel habere non intelligantur*, et *Quaest.* I. rectius: *mediator dei et hominum*, quam *mediator Dei et Dominum*; item *paternorum sit in omnibus conscius arcanorum*, quam *patris in omnibus conscius arcanorum*; item *in domo pereunte sacerdotis heli, necesse est ut veniens ad ecclesiam offerat*, quam *Pereunte sacerdotio Heli necesse est, ad Ecclesiam offerat* &c.

CCCI.

U. 101 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 84. 4. per duas columnas luculente exaratus, rubro distinctus et quondam cum tot aliis ab *Joh. Fabro* Ep. *Vien.* adolescentis Cleri studiosissimo addictus suo ad D. *Nicolaum* Seminario continet *D. Hieronymi Explanationem in Danielem Prophetam.* Praefatio ad *Pammachium* et *Marcellam* incipit: *Contra Danielem prophetam duodecimum librum scribit porphirius* &c. Id singulare, quod post verba: *in titulo eiusdem belis fabule ponitur*, Librarius noster hanc Notam miniatam interserit: *Incipit exposicio sancti Jeronimi presbiteri super danielem prophetam. prout potuit breuiter explanauit. vt eo facilius secreta illius legentibus panderentur quo commentico* (ita) *sermone dictata uiderentur. Hoc opus domino adiuuante ita exorsus est*, et deinceps Praefationem continuat, deceptus, ut videtur, a verbis sequentibus: *Homo quidam erat sacerdos nomine danibel*, quae sacri textus initium esse rebatur. Ceterum omnia integra sunt, ut docet collatio cum edit. *Vallars.* T. V. *col.* 617. textusque satis emendatus. Ad oram superam *fol.* 44. legitur: *Iste liber est monasterij Sancte dorothee* (quondam Canon. Reg.) *Wienne*; unde ad *Fabrum* devolutus fuerit. Quo sensu nae vel hodie Libri saepe Volumina sunt!

CCCII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 12 XIII. Folior. nunc 240. f. per duas columnas charactere luculento, atro exaratus, rubricisque pernotatus natales suos his ad calcem versibus prodit:

Fida mente. loci rupertus semper honori
Intendens. sumptus libri large dedit huius.
Tempore prepositi scriptus liber iste richardi
Ex quo prelatus undenus uoluitur annus.

Quid